



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 7. De summa bonitatis Dei ad se se omnibus communicandum  
propensione, praecipuè hominibus, & quibus modis se communicet per  
innumera beneficia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

appellaretur, ei tanquam proprium attribuit  
nomen *bonitatis & sanctitatis*: non enim ap-  
pellavit spiritum aeternum, aut immensum;  
sed spiritum S. & spiritum bonum. Et eodem  
nomine vult ipse Deus ab hominibus appella-  
ri, sicut à Seraphinis. O diuine spiritus, qui  
nomen SANCTI tibi vt proprium assumpsisti,  
quia plurimum de sanctitate gloriaris; conce-  
de & mihi de eadem, prę rebus omnibus crea-  
tis gloriari; procurado eam mihi, tanquã pro-  
pria sollicitè applicare, vt cõstãter ac firmiter  
sim sanctus in tuo conspectu, in æternũ. Amen.

MEDITATIO VII.

DE SVMMA PROPENSIO-  
ne bonitatis Dei ad communican-  
dum se omnibus, præcipuè verò ho-  
minibus; ac de ratione se com-  
municandi per innume-  
ra beneficia.



**H**ÆC Meditatio erit fundamē-  
tum omnium diuinorum bene-  
ficiorum, qua ab infinita Dei  
bonitate, tanquam à fonte pro-  
cedunt: qui Deus in sua quidē  
æternitate necessario commu-  
nicauit totã suã diuinitatē per cognitionē Filio;  
& Spiritui S per amorē; postea verò extra se, nõ  
necessario sed liberè se cõmunicat omnib. modis  
possibilibus, vt in subiectis punctis constabit.

## PUNCTVM I.

Cap. 4. de  
diuin. no-  
min.  
S. Thom. 3.  
p. q. 1. a. 1.

**C**ONSIDERANDA primū est summa propensio bonitatis Dei, ad se comunicandum & benefaciendum aliis. nam (vt S. Dionysius ait) *bonum est diffusiuum sui*; cuius eò maior est ad id inclinatio, quò ipsum bonū est maius; & quò idem se potest amplius communicare. Et quoniam Deus est summum bonum, ideo eius propensio, ad se comunicandum omnibus, quibus potest, modis, est summa. Et in hac communicatione magnas ostendit excellentias.

I. PRIMA excellentia est, quòd non necessitate, coactè, aut violenter; sed sola sua bonitate & libera voluntate se communicat: quia bonus est, & propensionem illam suæ bonitatis ad benefaciendum, vult sequi: quò valde inobstringit, ad ipsū eadem ratione amandum, & illi seruiendum. Quare merito dicam cum

a Psal. 53. 8.

Dauid: *a voluntarie sacrificabo tibi. & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.*

II.

SECUNDA excellentia est, quòd, dum se comunicat, non proprium emolumentum, sed nostrum querat. nam ex eo quòd aliis se comunicet, nihil boni illi accedit: tam enim erat beatus, antequam conderet mundum, atq; nunc est: & ita dixit Dauid; *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*; subditque fructum, quem ex hac consideratione hauriebat, dicens: *Dominus mirificauit oēs voluntates meas in sanctis. qui sunt in terra eius; quasi diceret, quoniam*

b Psal. 15.

meis operibus fructum tibi adferre non possum; hanc gratiam mihi fecisti, vt voluntates ac desideria mea dirigantur ad benefaciendum seruis tuis; & hac ratione pro bono, quod in me confers, respondeam, alijs benefaciens.

TERTIA excellentia est, quod non sinat, illam sue bonitatis propensionem esse otiosam; sed maximè exerceat, communicans illam omnibus modis, quibus erat possibile, etiam summo. Nam, quia bonum est sui ipsius diffusum, Deus ipse diffudit se, quantum iuxta infinita sapientiæ suæ ordinem, potuit: quæ ratione me etiam obligat, vt in eius obsequiũ, & in bonum proximorum, me ipsum diffundam, faciens quidquid potero boni; idque maxima, quæ possibilis erit, perfectione. Quare dum oro, *effundam*, sicut Anna illa, *animam meam in conspectu Domini*, aut sicut David: *diffundam in conspectu eius orationem meam*, faciens extremum quod potero, *donec deficiat ex me spiritus meus*. Et quando diligo, *effundam coram illo cor meum*, & affectus meos, vt omnes in eo amando occupentur. O summum bonum, quod summè appetis communicari: nam, si tu non te comunices, impossibile est, aliud esse bonum extra te: Fac me participem harum excellentiarum, quibus te communicasti, vt amem te, & seruiam, ac obediam tibi, non coactus aut ex timore, sed lubens & ex amore; nõ ob emolumentum meũ proprium, sed ob tuum solum seruitium; nõ animo parco & contracto, sed liberali & generoso. *faciens*

III.

cx Reg. 2. 15.  
d Psal. 141. 3

e Psal. 61. 9.

summum, quod potero, in gratiam proximo-  
rum & tuam, sicut tu fecisti in meam.

PUNCTVM. II.

**V**T veniamus ad particularia huius  
communicationis bonitatis Diuinæ,  
considerandum est, secundo, quod ea-  
dem bonitas communicauerit esse & bonita-  
tem naturalem creaturis, diuidens in illis  
quatuor gradus magnæ pulchritudinis & per-  
fectionis, quos Meditatione quinta insinua-  
uimus. Nam quibusdam creaturis dedit so-  
lum Esse corporeum, licet cum magna perfec-  
tionis varietate; sicut cernere licet in cœlis  
elementis, & mixtis; alijs dedit vitam vege-  
tantem, quales sunt arbores, plantæ, & flores;  
alijs etiam dedit sentientem vitam, quales  
sunt animantes, aues, & pisces; alijs dedit  
spirituale, & vitam intelligētem, quales sunt  
Angeli trium Hierarchiarum; quos omne  
gradus simul colligens dedit homini, ex cor-  
pore & spiritu composito, dedit enim illi  
Esse sicut cœlis & elementis; vitam sicut  
plantis, sensum sicut animalibus; & intelli-  
gitum sicut Angelis; quamobrem homo re-  
pellatur, a *omnis creatura*, & mundus breuiatus.  
Quare isti quatuor gradus Esse perfectionis, sunt instar  
*fluuiorum, qui egrediebantur ex fonte par-*  
qui fons est infinita Dei bonitas, & fluuij ex-  
gant per diuersas partes, terram & cœlum & tan-

a *Mate. 16.*

15.

S. Gregor.

Homil. 29.

in Euangel.

b *Gen. 2. 6.*

8.

tandem omnes quatuor se se recipiunt in ho-  
 minem, quem propterea simillimum faciunt  
 paradiso, ex quo fluxerunt. Ex quo magnos  
 eliciam affectus admirationis & gaudij, gra-  
 titudinis & amoris ob admirandum hunc  
 modum, quo se Deus hominibus communi-  
 cavit: admirans videlicet infinitam eius sa-  
 pientiam, quam ostendit in hac communica-  
 tione; gaudens de eius omnipotentia; gratias  
 agens pro tanta liberalitate, & amans infini-  
 tam ipsius bonitatem. O summa & suprema  
 bonitas quas gratias tibi reddam, pro hac per-  
 fectionum varietate, qua naturam meam ex-  
 ornasti! Iam aduerto, quam meritò iubeas,  
 vt quatuor his circumstantijs te diligam, *c ex*  
*toto corde, ex tota anima, ex omnibus meis vi-*  
*ribus, & ex tota mente mea.* rectum est siqui-  
 dem, vt totum, quod à tua bonitate accepi,  
 occupetur in eadem sine fine diligenda. Di-  
 ligam ergo te ex toto corde, ob Esse corpo-  
 reum, quod mihi dedisti; diligam ex tota ani-  
 ma mea, propter donatam mihi vitā, qua per  
 illam viuo; diligā te omnibus viribus meis,  
 ob communicatos mihi sensus & potentias,  
 quibus vtor; ac demū te diligam ex tota men-  
 te mea, ob spiritum & intellectum mihi com-  
 municatos. O si egrederentur ex meis visce-  
 ribus quatuor *d flumina aqua viua, feruentium* *d Iohn. 7. 39.*  
 scilicet affectuum, amoris, gaudij, gratitudi-  
 nis, & laudis, ob quatuor beneficiorum flu-  
 uios, quibus me totum adeo benignè asper-  
 sisti.

S. Thom. 2.

2. q. 44. a.

4. &amp; 5.

c Luc. 10. 27.

c Marc. 12,

30.

## PUNCTVM III.

**P**RAETEREA considerandum, quod bonitas Diuina non sibi satisfecit praedictomodo communicationis; ideoque excellentissimum alium elegit; in quo etiam sunt quatuor gradus, qui tamen omnes praedictum Esse naturale excellunt.

I. **PRIMVS** gradus est Esse supernaturalis gratiae; per quod homines & Angeli eo usque perueniunt, vt efficiantur a *Diuina consortes natura* filij & amici Dei. Huic Esse coniuncta est charitas, & reliquae supernae virtutes, & Spiritus sancti dona.

II. **SECUNDVS** gradus est Esse gloriae, quo iustib *efficiuntur* in perpetuum *similes Deo*, in gloriosis quas ille habet, regnantes cum eo in ipsius regno.

III. **TERTIVS** & supremus gradus est Esse personalis ipsiusmet Dei; quod communicat secunda persona Sanctissimae Trinitatis humanae naturae. Etsi fuisset conueniens, vt aeternus Pater, aut Spiritus sanctus, propria sua Esse personalia, alicui alteri naturae communicarent; aut, vt ipse filius pluribus naturis personale suum Esse communicaret, neque huius communicationi defuisset Diuina bonitas nec infinita propensio eius ad se communicandum creaturis. *De qua communicatione supra diximus in secunda parte huius operis.*

IV. **QUARTVS** gradus est etiam admirandus, nam, cum non esset conueniens, vt filius Dei

suum Esse personale communicaret pluribus naturis humanis; Diuina bonitas ipsum eo inclinauit, ac deduxit, vt illud Esse diuinum, cum duab. eius naturis diuina humana, communicaret omnibus hominibus in sanctissimo altaris Sacramento coniungens illas ineffabili quodam modo cum speciebus panis & vini, cum quibus totus ipse Christus, verus Deus & homo, sese nobis communicat.

S. Thom. 3.  
p. q. 4. & 5.

In his quatuor beneficiorum gradibus, sunt perpendenda duo valde eminentia.

L

PRIMUM est, quod infinita Dei bonitas voluerit explere infinitam suam propensionem communicandi se hominibus, quatuor praedictis modis; in quorum duobus postremis soli homini, non verò c. Angelis se communicauit. Quo facto satis aperte ostendit: d. *delicias eius esse cum filijs hominum*; quos non solum fecit ad suam imaginem & similitudinem; sed effecit etiam, vt vnus eorū esset ipsummet verbum, quod est ipsamet imago & similitudo infinita Patris, & vnus cū illo Deus. O Bonitas infinita Dei & supremi nostri Dñi, si adeò tibi homines sumus obstricti, quod in nobis coniunxeris quatuor beneficiorum fluuios in Esse naturali; quanto erimus tibi obstrictiores, & in eadem nostra natura, coaceruaueris quatuor alios fluuios incomparabilium beneficiorum in Esse supernaturali. Et si deuinxisti nos, dans nobis Esse creatum; quanto magis deuincti erimus, quod etiam dederis ipsum Esse increatum! parum tibi visum est, Deus

c. Hebr. 2. 16.

d. Prov. 8. 32.

meus,



meus, communicasse nobis bona, quæ sunt extra te: ideoque ijs adijcere voluisti, ut te ipsum communicares! ô si quis mihi daret eiusmodi bonitatem, quæ vehementer inclinaret ad communicandum tibi quidquid habeo, totum illud exponendo in dilectione & obsequio eius, qui tantis me bonis affecit! Et, sicut *Eccl. 1. 7.* quidem e *omnia flumina*, quæ *exeunt ex mari*, ad mare *reuertuntur*, unde *exiuerunt*; æquum est, ut omnia flumina, quæ ex immensitate bonitatis mari sunt egressa, ad eandem redeant, per gratitudinem: & attribuamus soli tuæ infinitæ bonitati, quidquid boni est, quod in nostra natura inuenitur.

## II.

SECUNDVM in eisdem beneficijs perpendendum est, quod, cum infinita Dei bonitas aduerteret, non decere, ut Esse illud diuinum, omnibus naturis creatis communicaret; quod infinitam suam ad se communicandam propensionem expleret, elegit communicare illam tali vni naturæ, in qua omnes essent; & omnes quatuor gradus essendi, qui in omnibus mundi creaturis sunt distributi; ideoque dicendus est se omnibus communicasse, & omnes honorasse eo modo, qui maxime conueniebat. Nam omnes corporeas naturas honore affecit, cum nostro corpori Diuinum suum Esse communicauit; & omnes spirituales naturas nobilitauit, cum se spiritui nostro coniunxit: ac propterea gratias illi debemus immensas: & par est, creaturas omnes ad eum laudandum inuitare, propter eam partem,

tem, quam & ipsa in hoc supremo beneficio habent; & me ipsum animare, ut bonus sim & sanctus f corpore & spiritu; siquidem infinita Dei bonitas, aded voluit utrumque in me honorare & exaltare. 1. Cor. 7. 34.

ALII modi quibus Dei bonitas se nominatim communicat suis electis, exprimentur in sequentibus meditationibus.

MEDITATIO VIII.

QVAM SIT AMABILIS Dei bonitas, & quam digna, quae summo amore diligatur, tum propter se ipsam, tum propter innumera bona, quae nobis communicat, & infinitas delicias, quas in se continet, & ab ipsa procedunt.



PRÆCIPVA bonitatis proprietates est, esse amabilem, & per eam Philosophi definirunt Bonum, dicentes: bonum est quod omnia appetunt: nam bonum movet voluntatem & nostras appetitiones, ut illud ament & appetant. Titulus & motiva, cur bonitas sit amanda, ad tria velut

capit a